



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Aprilem, Majum, Junium

Nepveu, François

Monachii, 1709

Festum Sanctissimæ Trinitatis. De Mysterio SS. Trinitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60514)

Junius,

de æterna gloria perdidisse, quot opera ad Deum referre negleximus.

Statue prævertere tantam infelicitatem percuram, quam in te suscipies, omnes actiones tuas continuò ad Deum referendi.

Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite. *1. Cor. 10. 31.*

Major tibi merces est, si modò citra mercedis spem feceris. *Chrysost.*

FESTUM.

Sanctissimæ Trinitatis,

De mysterio SS. Trinitatis

I.

CRedo, adoro, amo Sanctissimam Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, unum, solum Deum in tribus Personis. Credo; quem non comprehendo; adoro, quem non concipio; amo, quem non video. Credo, adoro, amo Patrem, qui me creavit; Filium, qui me redemit; Spiritum Sanctum, qui me sanctificavit: Patrem, qui per suam omnipotentiam me sustentat; Filium, qui per sapientiam suam me gubernat; Spiritum San.

Sanctum, qui per suam bonitatem vita me impertit, & per charitatem suam animat. Janius.
Honoro potentiam Patris, supremo ejus Dominio voluntariè me submittendo; honoro sapientiam Filij, ejus directioni me penitus committendo, honoro bonitatem Spiritûs Sancti, illicitis amoris ejus assentiendo.

II. O Trinitas adoranda! tu Deus meus non esses, nisi rationem meam superares; nec cor meum te amare, & ut Deum meum adorare posset, si intellectus meus te comprehenderet; quia infinitus non esses, si incomprehensibilis non esses; nec Deus meus esses, si infinitus non esses; quò minùs te comprehendo, eò magis in te credere, eò magis adorare te debeo: quò magis cognitiones meas superas, eò magis reverentiam, & amorem meum promereris. Tu modò scopus es fidei, & adorationum mearum, & olim Beatitudo, & unicus amor meus eris. Tu modò causa meriti mei es, & olim merces, & felicitas mea eris. Tu modò te mihi abscondis, ad augenda merita mea, & olim ad me coronandum te mihi revelabis.

III. Non possum te nunc meliùs honorare, quàm per meam reverentiam, per meas admirationes, & silentium. Atque hoc

Iunius,

hoc silentium interrompere nolo, nisi ut me Seraphinis associem, cum ipsis ingeminaturus; *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* Gloria sit Patri, qui filium suum generat per virtutem infinitam intellectus sui. Gloria sit Filio, qui generatur ad similitudinem Patris sui. Gloria sit Spiritui Sancto, quem Pater, & Filius spirant se contemplantando, velut beatorum amoris sui terminum. Gloria sit tribus Sanctissimæ Trinitatis Personis, quæ suamet sunt Beatitudo, & dum se amant, quantum amari merentur, infinitæ sibi gloriæ sunt causa. Quando fiet, adoranda Trinitas, ut felices simus eadem felicitate, qua tu? quando eandem habebimus occupationem, quam tu, quæ est, te possidere, te amare, & te per totam æternitatem glorificare?

Sufficiat tibi credere, & adorare grande Trinitatis mysterium, quod omnium aliorum est fundamentum.

Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt. *Ioan. Epist. 1. 15. v. 7.*

Deus ubique secretus est, ubique publicus, quem non licet, ut est, cognoscere, & quem nemo permittitur ignorare. *Aug. in Psal. 74.*

FE-